

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scitate prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Na alie quide partes gra
m meruerunt. ipa aute plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oro. Illuc uiga uesse
florida et fructifera maia uir
go utissima. de qua uincis ille
et singularis flos et fructus pro
dit. qd uirtutu spualium gime eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mitens dulcore. flos cuius uoi
tas expellit mesticia: fructus
cuius sacietas uleua dat leticia
Bndicta uiga de radice uesse:
uirtus et flos: qd de tali ra
dice ascendit. Bndicta arbor bnd
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uigo
maia in eternu bndicta. amen.

De receptioe iohis bap^{te} Ca. iiii

Vit aute in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quida
noie sachaias

de uice abia: et uxor eius noie

quatu ad obseruacia ceremonialium:
sine qrela. quatu ad obseruacia
iudicialium: qz pacifice se ad proxi
mos habebant. Et no eat illis
filius ppt stilitatem: q est causa
specialis mulier. Ex quo appaet
deceptio pcursozis miraculosa: qz
no fuit tantu p natura: sed per
natura gra diuina adiuta. **T**
Iste herodes de pre ydumeo de
cendens fuit alienigena: et ia cep
trum ablatu fuit de iuda: et
ideo tempus adueto xpi instabat: qz
iacob patriarcha spu pp hetico sig
nu aduetus xpi pdiuent. qu reg
nu iude ad alienigena tralatim
ess diceb. Non auferet ceptrum
de iuda zc. Et sciendu est hic
q cu moyses uniu instituisse su
mu sacerdotem. cui mortuo unus p
ordine succedet: dauid uoles n
pliac cultu domo dmi. de xxiiii fa
milijs q descenderat ab aaro in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos tm unus maior eat et su
mus oim: q dicebat princeps sac
dotu. Instituit etia ut uicissim mi
nistrates p ebdomada a sabbo
usq ad sabbatu tepoe uias sue
singuli castimoie student: nec
interi in domu ppam intraret:
sed in domuculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comingus
c. 13. 13. c. XL.

F. III. 6.

1)	Georgij Calixti	de Substantiâ	1589.
2)		de Enunciatione.	1610.
3)		de syllogismo.	1610.
4)		de methodis.	1610.
5)		de causis in specie.	17.
6)	Joannis Wolfij	de veritate & existentia metaphysicis.	1601.
7)	Leonardi Horacij	de natura part. & instrumentis Philosophic.	1612.
8)	Pauli Hermicij	Ethicarum I. de nat. Philosophic.	1615.
9)	"	de habitibus mentis in communi.	25.
10)	Nicolas Granij	de Mathesi Petri Rami I.	12.
11)		de Mathesi P. Rami II.	12.
12)		Ethicarum I.	6.
13)		II.	
14)		III.	
15)		IV.	
16)		V.	
17)		disputatio Ethica.	9.
18)		Politicarum 1 ^{ta} de conferet. rerumpullic.	8.
19)		de Enunciationibus absolutis etc.	5.
20)		Rhetoricarum I.	
21)		II.	
22)		de affectionibus miseriorum.	7.
23)		Encyclopedias disputatio I. de Philosophia in genere.	
24)	Martini Siemannij	de generatione & corruptione.	1589.
25)		de Magicis actionibus.	
26)	Theodori Adamij.	poemium civili prudentie.	90.
27)		de formis republicarum.	1607.
28)	Friarum. Galuini	Physicæ. 1 ^{ta} de caus. per se et per accidentia.	8.
29)	Suaconi Iona	de Mathematicis disquisitionibus.	1.
30)		Physicæ. 1 ^{ta} de distributione Physicæ	5.



DISPUTATIONVM METAPHYSICARVM

SEXTA,

De

CAVSSIS IN

SPECIE,

CVIVS THESIS

AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO

GEORGI CALIXTI, Phil. &

Theol. Doctoris & Prof.

publici,

Eid. Mart.

IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA

DEFENDET

CHRISTIANVS VVOLBERTVS


VVORSATVS.

HELMÆSTADI,

Typis heredum IACOBI LVCI,

ANNO cl̄o l̄o cXVII.

F. 78.


*MAGNIFICIS, STRENUIS
ET NOBILISSIS VIRIS,*
DN. CHRISTOPHORO
IOANNI à BVLOVV, Metropoli-
tanæ Bremensis ecclesiæ Canonico reueren-
do, terrarumq; VVorsatiæ ac Hadeleniæ
Præposito dignissimo;

ET
DN. LEVINO Marschalek /
Reu.^{mi} & Ill.^{mi} Bremensium Archiepiscopi
Consiliario intimo, & Præfecturarum
Moderatori generali,

*DOMINIS ET PATRONIS MEIS
ÆTERNVM COLENDIS.*

Exercitium hoc Philosophicum

L. M. Q.

MENTE DEVOTA

Offero & inscribo

CHRISTIANVS VVOLBERTVS R.

COMMVNIS PARTIS
DISPVATIO QVARTA,
De
CAVSSIS IN SPECIE.

THESIS I.

Singulas causas consideraturi ab
Efficiente ordiemur: nam hæc causarum est
notissima, vt sicut iam antè inuimus, κατ'
ἐξουίω causa dicatur. Qui enim absolutè di-
cit *hoc siue illud rei alicuius causam esse*, effici-
entem denotare viderur.

II. Suprà autem ostendimus, cùm è consideratione A-
ctus & Potentiæ numerum causarum eliceremus, necessa-
riò dari quandam causam, quæ actum, quo res est id quod
est, si eum semper non habuit, è potentiâ eduxerit: atq; hanc
ipsam Efficientem esse. Quæ verò causa actum è potentiâ
passiuâ educit, ipsam & actum esse, & virtute agendi siue po-
tentiâ actiuâ pollere oportet. Non tamen quicquid age-
re potest, aut potentiâ efficiendi præditum est, continuò
efficit aut causat. Quamobrem nec efficiens est. Agi-
mus enim de causis, prout actum sunt causæ & ab ijs effectus
dependent: non verò de rebus, quæ esse vel denominari
possint causæ, vt iam pridem diximus. disp. 3. th. 4.

III. Quoniam igitur causa non est actum & reapse causa,
quia agere potest, sed tantùm quia agit, inde patet effici-
entis causalitatem, (hoc est, vt suprà exposuimus, rationem,
per quam constitutur in esse formali causæ) non posse da-

N

ria-

ri aliam, quàm actionem. Per actionem enim propriè & immediatè effectum adtingit & producit; neq; potentiæ efficiendi quicquam aduenit siue superadditur aliud, per quod actu efficiens fiat, præter actionem. Eâ enim positâ, intelligitur efficere, siue causa efficiens esse; sublatâ verò, id intelligi non potest, licet quodcunq; aliud ponas. Et huc respexit Aristoteles, cum relationis, quæ inter efficiens & effectum est, fundamentum proximum fecit actionem. Refertur, inquit, *calefactiuum ad calefactibile, quia possunt; rursusq; calefaciens ad id, quod calefit, & secans ad id, quod secatur, quia in actu sunt.*

9. Met. t. 20.

IV. Porro actio huiusmodi vel in aliquod subiectum agit, ipsum immutando; vel non agit in aliquod subiectum. Prior actio propriè est immutatio, eademq; dum mouet ac mutat subiectum, nouam formam in illud introducit, & ex subiecto ac introductâ forma compositum efficit. Etsi igitur duplex hîc est relatio, nempe cum vt mutantis siue agentis ad subiectum vt mutatum & passum; tum causæ ad effectum: vna tamen eademq; est actio, vtriusq; relationis fundamentum. Posterior actio non est immutatio alicuius subiecti, quod hîc nullum est; sed ad ipsam resultat effectus immediatè; & tantum causæ, quæ infinitam virtutem agendi obtineat, competit. Vtraq; verò, cum hæc tum illa, vera est actio; neq; nomen actionis restringi debet ad operationem agentis, quæ subiectum supponat.

5. Met. q. 4.

V. Iauellus cum Herueo ab hac receptâ sententiâ recedit; sed dum causalitatem efficientis collocat in eo, quod sit *efficere* siue *dare rei esse productiuè*, ad eandem redit. Quid enim id aliud est quàm agere? Neq; aliud dicit, quem suæ opinionis esse existimat, ipse Thomas: *Efficiens est causa, in quantum agit.* Quod autem distinguit Iauellus inter *agere & actionem*, vt illud sit idem quod *habere actionem*, & concretum.

tum;

tum; actio quod forma & abstractum: id verò rem non ex-
pedit. Concretum enim illud præter actionem ipsam aut
inuoluit suppositum, quod agit; & hoc nihil ad causalita-
tem: aut inuoluit habitudinem, ortam ex eo, quòd actio
adsit; qualis non est ipsa causalitas, sed quoddam conse-
quens eius. Ipsa verò actio, nihilq; aliud, facit, vt suppo-
situm sit agens; & vt oriatur habitudo quædam suppositi,
consistens in habendo actionem. Neq; in quo causalita-
tem efficientis collocat Fonseca, scilicet *influxus, per quem a-* 5. Meth. c. 2.
qu. 5. lect. 1.
liquid è potentiâ ad actum perducitur, siue propriè, siue impropiè;
neq; hic, inquam, aliud est quàm actio.

VI. Ex his omnibus manifestum est Efficientem causam
esse, *unde sit primum actionis principium.* Primum autem di-
cimus non simpliciter, sed in tali ordine aut genere causan-
di. Et competit hæc definitio cuicumq; efficienti, quæ
per se; etiam infinitæ, quæ non agat in subiectum, aut per
mutationem; qualis actio est, cum res ex nihilo producitur.
Aristoteles autem, quòd huiusmodi productionem igno-
raret, Efficientem non nisi per mutationem definiuit: *ὅθεν ἡ*
ἀρχὴ, inquit, τῆς μεταβολῆς ἢ πρώτη, ἢ τῆς ἡρεμῆσεως. Nam omnis 5. Met. t. 2.
7. Phys. t. 29.
Efficiens, præter eam quæ creando efficit, per mutationem
aliquam efficit. Nobis autem de causâ constat, quæ agat
sine subiecto, & sine omni mutatione; proinde danda fuit
definitio tam lata, unde illa non excluderetur, siquidem
inter Efficientes vel maximè numeranda fuerit.

VII. Efficientem igitur esse, *unde sit primum actionis prin-*
cipium, idem est ac si dixerò, esse principium unde sit siue pen-
deat effectus mediante actione. Atq; hac ipsâ Efficiens à cæ-
teris causis distinguitur: materia enim & forma non caus-
sant per actionem, sed per intrinsecam vnionem; finis caus-
sat tantum per metaphoricam motionem; sola verò Effici-
ens per veram & propriam actionem ab ipsâ prodeuntem.

N 2

Vnde

Vnde & hoc patet, eam non dare esse effectui formaliter, sed productiuè.

IX. Hisce ita expositis, videamus diuisiones siue differentias Efficientis causæ. Supra diximus in singulis generibus causarum inueniri *per se* & *per accidens*; maximè tamen in Efficiente. Efficiens itaq; per se est, vnde directè pendet effectus secundum illud esse, quod habet, quatenus est effectus: Efficiens per accidens dicitur propter habitudinem vel coniunctionem quandam, quam habet cum causâ per se. Neq; verò vnius modi hæc est accidentalitas: aut enim est ex parte causæ, aut ex parte effectus. Ex parte causæ per accidens efficere dicitur, quod per accidens coniunctum est causæ efficienti per se: & est vel ipsum subiectum formæ operantis, nempe quando forma isti subiecto essentialis non est, sed accidentalis; vel alia forma alteri in eodem subiecto per accidens coniuncta. Priore modo *aqua calefacit, Polycletus ædificat*, quia nimirum calor, per quem calefacit aqua, & ars, per quam ædificat Polycletus, subiectis illis insunt per accidens: alioquin enim, si potentia agendi per se insit subiecto, licet ipsum subiectum nudè proferatur, non tamen diceretur esse causa per accidens, vt in hisce, *Ignis calefacit, Homo loquitur*. Posterior modus est, cum *Musicus scribit; albus ædificat*: formæ enim accidentales sunt Musica & ars scribendi; albedo & ars pingendi; & per accidens vtraque eidem subiecto simul inest, alterutrâ tantùm suum influxum ad effectum conferente. Et hic modus maiorem etiam accidentalitatem includit, quam prior: nam subiectum formæ, quod formam sustentat, magis ad effectum concurrere videtur, quam forma alia, ita vt diximus, concomitans siue coniuncta. Ex parte effectus assignatur causa per accidens respectu eius, quod cum effectui per se intento coniungitur. Id autem coniungitur vel per se,

se, vel per accidens: per se, vt cum motu calor, cum generatione vnius destructio alterius; atque hoc modo eadem causa, quæ per se causa est alicuius effectus, simul causa est per accidens eius, quod cum tali effectu per se coniungitur. Per accidens coniungitur cum fossione agri inuentio carbonum vel thesauri; cum lapsu lapidis vulneratio prætereuntis Socratis. Atq; hinc quoq; plus accidentalitatis interuenire constat. nam hic effectus & præter intentionem agentis est, & nullo modo per se siue ex naturâ rei cum actione intentâ coniunctus: ibi verò etsi ab agente non intenditur, coniungitur tamen ex naturâ rei cum eo quod intendebatur, vt cum motu calor. Sed causas per accidens verè proprièq; causas non esse superiore disputatione ostendimus; & simul, quomodo quæ ex parte effectus sunt, ad Fortunam & Casum ab Aristotele contrahantur. Pergamus itaq; ad alias differentias.

IX. Efficiens alia est Physica, alia Moralis. *Physicam* dico & accipio latè, vt non tantùm significet eam, quæ agit per motum; aut quæ agit necessariò: sed quamcunq; quæ verè ac realiter in effectum influat, quo etiam modo Deus cum creat, voluntas cum eligit, causæ physicæ sunt, etsi neq; agunt per motum, neq; necessariò. *Moralis* contra est, quæ per se verè non efficit, sed moraliter ita se gerit, vt ei effectus imputetur. Hoc autem facit, quando adplicat siue inducit causam physicam: idq; vel per motum localem, vt incendiarius cum adplicat ædificio ignem, istius quidem motus siue adplicationis causa est physica, sed combustionis tantùm moralis est causa; vel per imperium, siue consilium, siue preces & hortatus; vel quando non impedit, qui & potest impedire, & vt id faciat, tenetur. Manifestum autem est huiusmodi moralem causam per se ac verè in effectum non influere, & propterea si physicè consideretur, si

ue si ad naturam veri proprii; influxus exigatur, nõ esse nisi causam per accidens: secundum moralem tamen considerationem, quæ alterius loci est, reputatur esse per se.

X. Porro causa efficiens alia *Principalis* est, alia *Instrumentalis*. Modò quæ Instrumentalis sit, rectè intelligatur, facile quoq; intelligetur, quæ sit Principalis. Non autem Instrumentalis est, quæcunq; agit mota ab aliâ superiore: ita enim præter Primam & vniuersalissimã nulla foret, quæ Principalis dici mereretur. Sed Instrumentalis est, quæ eleuatur ad effectum nobiliorem quàm ferat proportio propriæ virtutis & perfectionis; atq; ideo dicitur agere in virtute principalis agentis, quia quum propria vis ad effectum producendum sit improporcionata & insufficiens, à principali agente accipit, vt ad productionem talis effectus concurrat. Ita se habet accidens ad productionem substantiæ. Contrà igitur Principalis intelligitur esse, cuius virtus agendi ad effectum relata ipsum vel æquet, vel excedat; h. e. vel cum effectu formaliter conueniat, formã scilicet & specie; vel contineat eum eminenter. Si prius, dicitur causa *Vniuoca*; si posterius, *Æquiuoca*: ita homo generans hominem, ignis generans ignem causæ effectuum sunt vniuocæ; sol, cælum æquiuocæ. Nempe vbi causa est vniuoca, causa & effectus specie conueniunt: secus, vbi æquiuoca. Quamobrem & instrumentales videri possent æquiuocæ: verum vsus obtinuit, vt hæc distinctio non nisi de principalibus acciperetur.

XI. Instrumentalium rursus non vna est differentia. Alia enim instrumenta *physicè* talia sunt, alia *moraliter*. Vocabulum *physicè* hoc quoq; in loco latè accipimus, vt significet instrumentum, à quo per se verã propriãq; actione attingatur effectus; qui sine illâ produci non potuisset. Et notanda hîc est duplex actio talis instrumenti. *Vna propria*

pria eius, quatenus suam naturam & formam habet: *Altera*
externa, quatenus est instrumentum, & agit eleuatum à
principali causâ, siue in virtute eius. Exemplo res erit
manifesta. Calor natiuus est instrumentum animæ, quo
vtitur ipsa in generatione sanguinis & carnis. Calefacit qui-
dem calor suâ vi; adeoq; calefactio est actio caloris pro-
pria, eiq; proportionata: sanguinem autem & carnem pro-
ducit in virtute principalis agentis, quatenus instrumentū;
adeoq; verissimum est, instrumentum etsi propriâ actione
ad producendum effectum concurrat, quatenus tamen est
instrumentum, semper agere in virtute causæ principalis.
Non enim calefactio, sed generatio sanguinis & carnis effe-
ctus sunt caloris natiui, quatenus is causa instrumentalis
est. Actio autem illa propria instrumenti, concurrat ad effe-
ctum principalis causæ vel tantum remotè, adtingendo ali-
quid præuium, vt securis ad domum; vel tantum proximè,
adtingendo immediatè ipsum effectum, qui intenditur; vel
vtrinq; modo. Ratio enim instrumenti non limitatur ad
vllum horum, sed seruatur in quocunq; eorum. Quin &
instrumenta arte facta propriam aliquam habent actionem,
vi naturæ suæ: quatenus autem instrumenta sunt, maiorem
& nobiliorem fortiuntur, quàm ferat conditio naturæ ipso-
rum. Nam notum est, non tantum esse instrumenta quæ na-
tura dederit, vt sunt calor natiuus & membra corporis hu-
mani respectu animæ; qualitates respectu substantiarum: sed
etiam ingenio & arte facta, & vel corporea, quibus vtatur
anima mediante corpore; vel incorporea, quibus ipse intel-
lectus in operationibus & ratiocinationibus suis vtatur siue
adiuuetur; qualia sunt Notiones secundæ. Quodocunq;
autem instrumentum actione suâ propriâ siue externâ effe-
ctum principaliter intentum proximè & immediatè adtin-
git: tum effectum ipsi quoq; instrumento solemus tribue-
re; se-

re; secus verò, si ad istum modum non adtingat: ita ferra & securis non dicuntur ædificare domum, quia non nisi ad præuium aliquod præparando & disponendo concurrunt. Atq; hæc ferè ratio siue natura est instrumenti physici. Morale instrumentum est, quod non nisi ex constitutione siue ordinatione aliquâ principalis agentis habet, vt ad effectũ concurrat, qui aliàs sine ipso aut alio eius simili produci potuisset. Deniq; instrumentum aliud est *coniunctum* principali agenti siue per intrinsecam vnionem, vt manus animæ; siue per contactum aut aliquem alium præsentia modum, vt calamus scribenti: aliud est *separatum*, vel cum agente principali nullâ præsentia coniunctum, vt semen decisum.

XII. Vtèrius efficiens principalis alia *prima* est; cæteræ præter Primam *secunda* sunt. In causis enim essentialiter subordinatis non licet progredi in infinitum, sed necessariò tandem deuenitur ad aliquam primam & supremam; idq; in quocunq; fuerit causæ genere, vt rectè docet Philosophus 2. *Metaph. cap. 2.* Sunt autem causæ essentialiter subordinatæ quælibet eiusdem generis diuersæ causæ, ita inter se adfectæ, vt altera ex naturâ suâ pendeat ab alterâ in causando. Contrâ accidentaliter subordinatæ sunt, quæ quocumque modo à se inuicem dependent, non tamen in causando. Scotus tres differentias adsignat, quas adnotare operæ præcium fuerit. *Prima, inquit, differentia est, quod in causis per se ordinatis causa secunda, in quantum causat, dependet à prima: in per accidens non; licet in esse vel in aliquo alio pendeat.* Verbi gratiâ, Deus, Cælum, Sol, Homo concurrunt ad generationem hominis; & homo generans in causando dependet à superioribus. Essentialiter igitur subordinatæ, siue per se ordinatæ sunt hæ causæ. At idem homo generans pendet quoq; à patre, ab auo, proauo suo: verum nõ in causando, sed alio modo. Subordinatio itaq; tantum acciden-

1. dist. 2: q. 2.

S. Quantum
ad primum

dentalis est. Secunda differentia è priore sequitur. Quia enim secundæ causæ in causando pendent à prioribus, & sine influxu priorum causare non possunt, necesse est vnamquamq; quò magis prior est, eò maiorem & nobiliorem obtinere causalitatem. *in per se ordinatis*, ait Scotus, *est causalitas alterius rationis & alterius ordinis, quia superior est perfectior: in accidentaliter ordinatis non.* Vnde accidentaliter ordinatæ eiusdem possunt esse speciei, quas suprâ nominauimus Vniuocas, vt homo, & pater omnesq; eius maiores: essentialiter autem ordinatæ semper alterius sunt speciei. Tertiò, quandoquidem inferior ad eum, quem diximus modum à superiore semper pendet, & ab eâ vim causandi accipit, *omnes causæ per se & essentialiter ordinatæ simul necessario requiruntur ad causandum, alioquin aliqua per se causalitas deesset effectui: in accidentaliter autem ordinatis non sic est, quia non requiritur simultas earum in causando*, vt homo generat, etsi pater & progenitores eius dudum esse desierint.

XIII. Ex hac per se siue essentialiter ordinarum causarum naturâ manifestum est non dari posse in ijs progressum in infinitum, sed sistendum esse ad aliquam primam siue summam. Nam quoniam, vt ex tertiâ differentia patet, simul eas esse oportet, necesse foret dari multitudinem causarum, & quidem vt docet secunda differentia, specie diuersarum actu infinitam; cuius consequentis absurditas manifesta est, atq; alibi demonstratur. Prima autem differentia ostendit, inferiores à superioribus dependere in causando; hinc validissimum argumentum desumpsit Aristoteles, quod nos ita proponimus siue explicamus: Si causæ essentialiter subordinatæ essent infinitæ, nulla esset prima causa; & si nulla prima, non esset aut dari posset vlla causa. Prior consequentia manifesta est, quia in infinitis non potest dari & primum & vltimum, alioquin enim infinita non essent.

²Metap t.6

O

essent.

essent. Infitio autem nulla hîc est deorsum versus, quia datur vltima caussa & proxima effectui. Ergo si aliqua est, erit sursum versus adscendendo, scilicet vt nequeat deueniri ad primam caussam. Posterior consequentia probatur, quia omnes caussæ inter primam & vltimam mediæ sunt, ita ordinatæ, vt sequens ab antecedente in caussando pendeat, siue caussandi vim accipiat. Si igitur nulla est prima, omnes præter vltimam mediæ erunt. At omnis media pendet à primâ. Quamobrem si nulla est prima, non est vnde pendeant mediæ: & per consequens nulla quoq; est secunda, nulla tertia aut alia media caussa. Si nulla media, sequitur nec vllam esse vltimam. Rem declarat Aristoteles exemplo trium caussarum, è quibus duæ posteriores pendeant à primâ, ideoq; eâ sublatâ caussæ esse nequeant. *ὡς' εἰπὼς μηδὲν δεῖ πρῶτον, ὅλως αἰτιον εἶναι δεῖν.* Addi potest, quod si caussæ essent infinitæ, vis caussandi numquam deuenire posset ad vltimam siue eam, quæ effectui est proxima: infinitum enim pertransiri non potest. In caussis igitur essentialiter subordinatis non licet progredi in infinitum. Sed ne quidem accidentaliter ordinatæ possunt esse infinitæ, si considerentur vt simul existentes: si verò accipiantur, vt sese inuicem successiuè consequuntur, tum vsq; & vsq; vltior conceditur progressus.

XIV. Certum itaq; est & firmum, Vbi series siue ordo caussarum essentialiter subordinatarum, ibi aliqua summa & prima est caussa. At in hoc vniuerso talis est series. Est summa & prima caussa, à quâ reliqua omnia, vtpote ab ipsâ caussata, pendeant. Ipsam, inquam, reliquorum necesse est esse caussam: ipsius autem nulla est caussa, quippe simpliciter primæ. Atq; hinc quoq; sequitur infinitam esse. Quicquid enim finitum est, per alicuius superioris caussæ vim finitur, siue ad limitatum esse determinatur. Hæc itaq;

itaq; caussa, de quâ modò agimus, quia superiorem aliam
nec habet, nec habere potest, infinita est vt essentia, ita quo-
que potentia: hanc enim ex illâ fluere supra ostensum fuit.
X V. Porro hinc etiam id sequitur, vt prima caussa esse
reliqua verò ab ipsâ, scilicet participatû & dependens. Vn-
de à primâ causâ cætera omnia pendent in suo fieri, in esse &
habeat à semetipsâ, siue per essentiam & independens:
in operari, id est, absq; ipsius influxu siue concursu neq; pro-
duci possunt, neq; conseruari, neq; quicquam agere. Tri-
plex enim est actio primæ causæ respectu inferiorum, Pro-
ductio, Conseruatio, & Cooperatio. Patet hoc, quia vt
ostendimus, sola prima caussa habet esse per essentiam, cæ-
teræ participatum esse. Tam essentialiter autem pendet
esse participatum ab esse per essentiam, quàm pendet quod-
libet fieri à suo faciente. Quòd si tale esse, quatenus tale
est, simpliciter & absolutâ necessitate postulat influxum Pri-
mæ causæ vt fiat, siue vt aliquando fit in rerum naturâ, non
minùs eundem influxum postulabit, quandocumque est:
semper enim est idem participatum esse; & quod per se pri-
mò ei conuenit, semper ei conuenit. Non igitur solùm pen-
det ex actuali influxu eius, vt primò recipiat esse, sed etiam
vt in illo duret ac perseueret.

X V I. Huiusmodi autem conseruatio à productione
non differt reapse, sed solùm connotatione quadam. Nam
productio dicit effectiorem rei, connotando, quòd antea
non fuerit: conseruatio dicit eandem effectiorem, con-
notando, quòd res antea fuerit. Conseruatio itaq; nihil
aliud esse videtur, quàm continuata quædam productio.
Atq; adeo cessante hac actione, res ab eâ pendentes defice-
re oportet, & esse suum amittere: neq; ad destructionem o-
pus est aliquâ peculiari primæ causæ operatione, sed modò
cesset ipsa ab actuali suo influxu, res desinet esse.

XVII. Loquimur autem de conseruatione propriiffimè dictâ. Per accidens enim conseruant ea, quæ remouent siue impediunt contraria, à quibus res destrui posset: ita tectum conseruat ignem, dum arcet pluuiam & niues. Conseruatio per se iterum duplex est. Vna *mediata & remota*, consistens in influxu quarundam dispositionum vel formarum, quæ ad rei conseruationem necessariae sint: ita Sol conseruat uiuentia, dum fouet naturalem eorum calorem. Altera est *directa & immediata*, per continuum influxum ipsius eiusdem esse, quod per productionem communicatum fuit: & talis est, de quâ nos modò loquimur. Quæ verò caussa ita se habet, vt cessante eius actione effectus ne momento quidem consistere possit, illa est caussa, à quâ effectus pender in esse & conseruari: si ita se habet, vt absq; eius actione effectus superesse possit vel per momentum, potest & semper, quantum quidem est ex vi huiusmodi caussæ; atq; ideo ea solummodo caussa est in fieri.

XIIX. Tertium, quod Primæ caussæ tribuebamus, Cooperatio erat, siue quòd ad actiones secundarum caussarum per se & immediatè concurrat. Patet hoc è superioribus. Nam sicut se res ad esse habent, ita quoq; se habent ad operari. Si igitur à Primâ causâ dependent in essendo, non minùs dependebunt in operando. Est & actio caussarum secundarum ens per participationem, essentialiter itaq; dependet ab ente per essentiam: absq; eius itaq; concursu siue cooperatione caussæ secundæ nihil agere possunt.

XIX. Quoniam autem Prima caussa infinitæ est virtutis & essentiæ, ideo agit immediatione cum virtutis, tum suppositi. Immediatè per virtutem sine immediatione suppositi agere dicuntur, quæ contingunt passum vel effectum nõ nisi per virtutem à se diffusam, neutiquam tamen per suum suppositum, vt Sol illuminans aërem, calefaciens terram.

At

At hoc de Primâ causâ dici nullo modo potest, quia virtus eius est suppositum eius. Non potest igitur actio immediatè prodire à virtute, quin immediatè etiam prodeat à supposito. Hæc autem immediatio suppositi non excludit consortium alterius suppositi agentis: sed innuit quòd Prima causa per sese & potentiam suam influat in esse cùm ipsius causæ secundæ, tum actionis ab eâ procedentis, tum effectus per actionem illam producti. Dixeris itaq; , Primam causam agere quidem mediatè, quatenus secundis dat & conseruat virtutem agendi; immediatè verò ob rationem, quam modò dedimus: & secundam agere in virtute primæ, nihil aliud esse, quàm agere per virtutem à primâ datam & conseruatam, dependenterq; in suâ actione ab actuali influxu primæ. Quin ad denotandam hanc dependentiam aliquando secundæ causæ dicuntur instrumenta esse primæ, nò quòd propriè & in rigore sint instrumenta, quum constet in suo ordine principales esse, & agere per proprias virtutes, suoq; in ordine sufficientes, adeoq; effectus sibi similes producere.

XX. Breuiter, de ratione & perfectione primæ causæ cum secundis & in secundis operantis hæc duo sunt: Vnum, vt nihil potentia siue virtutis, nihil requisitæ conditionis, quæ reuera aliquid sit, reperiatur in secundis, quod non dependeat à primâ, & ab eâ detur atq; conseruetur; Alterum, vt nulla actio secundæ exerceri possit sine immediato actuali influxu primæ. Facile autem intelligitur, hunc influxum nullam necessitatem inferioribus imponere, sed adcomodatum esse naturis earum, & singulis præbere concursum, qui ipsis sit conueniens, adeoq; cùm necessarias tum liberas suæ naturæ relinquere. Quinimò verum est, primam determinari à secundâ, cùm quò ad specificationem, tum quò ad exercitium actus, non quòd absolutè primam determinet,

minet, sed quia est ratio obiectiua postulans talem concurr-
sum, tamquam debitum quoddam connaturalitatis.

XXI. Deniq; quia hic concursus, ita vt exposuimus,
per omnia immediatus est, inde patet, eum non includere
aliquid de nouo ipsi causæ secundæ inditum, quod se habe-
at ad modum principij vel conditionis necessariæ: sed sup-
positâ secundæ causæ virtute, quæ in suo ordine sufficiens
à primâ detur & sustentetur, concursus hic ad extra nihil a-
liud est, quàm ipsamet actio secundæ, vt ex simplici & in-
trinsecâ necessitate per se & immediatè dependens ac fluens
à primâ.

XXII. Neq; verò cum solis efficientibus concurrat hæc
Prima causa: verùm etiam cum reliquis, nempe materiali,
formali, finali. Non tamen ita, vt proprias singularum caus-
salitates exerceat, quippe quæ imperfectionem aliquam in-
cludant. Propter summam quidem & eminentissimam bo-
nitatem vim habet causandi finaliter: atq; ideo rectè etiam
dici potest Summus & primus finis. At non materia, neq;
forma propriè dicta. Cùm tamen materia causat, necesse
est Primam, de quâ egimus hætenus, causam concurrere,
nò tantùm sustentando materiam, sed etiam efficiendo caus-
salitatem eius, & effectum eius. Quicquid enim reale est,
sive pendet immediatè ab efficientiâ Primæ. Sed, vt
iam inuimus, quod esse materia dat subijciendo sese, &
materialiter; hoc ipsum Prima nostra dat agendo, & effecti-
uè. Et tantum est de Primâ efficiente: nunc quoq; Secundas
videamus.

XXIII. Secundarum aliæ sunt *Vniuersales*, quæ non re-
spiciunt certos & determinatos siue in specie hos & illos ef-
fectus, sed concurrunt in vniuersum ad hæc inferiora. Non
tamen ita concurrunt, quemadmodum Prima illa, nempe
vt ab ipsis cætera pendeant essentialiter & immediatè tam in
fieri

fieri suo & esse, quàm in operari: hoc enim non convenit
 ulli enti-per-participationem, sed ei soli, quod per essentiã
 ens est. Tales Vniuersales caussæ sunt Cœlum, Sol, Astra,
 quæ agunt in hæc inferiora per motum, lumen & influenti-
 am. Sæpe enim contingit, virtutem alicuius caussæ Parti-
 cularis siue inferioris in suo ordine insufficientem esse, ni-
 si iuuetur & quasi compleatur virtute siue influxu supe-
 rioris. Manifestum est hoc in generatione mistorum, vt
 metallorum, maximè verò viuientium. Inde dixit Aristo-
 teles: ἀνδρωπὸς ἀνδρωπὸν γυνᾶ, ἢ ἥλιος: nempè humanum
 semen imperfectam vim habet ad generationem, nisi calo-
 re solis foueatur & iuuetur. Alibi motum cœlorum facit
 caussam generationum & corruptionum. Atq; hoc modo
 subordinatæ sunt caussæ particulares caussis vniuersalibus
 secundis; quæ tamen subordinatio non est eiusdem ratio-
 nis cum priori: non enim est intrinseca & immediata.
 Vnde licet caussæ particulares aliquo modo pendeant ab V-
 niuersalibus in fieri & operari, non tamen simpliciter & ef-
 fentialiter. Esse itaq; possunt sine concursu vniuersalium;
 & si esse, etiam operari, etsi non illo modo, vel illos effe-
 ctus. Non igitur cessante concursu Vniuersalium, vt mo-
 tu cœli, necesse fuerit continuò & in momento destrui o-
 mnia inferiora, vel omni penitus operatione priuari, sicut
 necesse esset cessante concursu Primæ caussæ: ab hac enim
 solâ, quia ens per essentiam est, per se intrinsecè & immedi-
 atè dependent cætera omnia, quæ entia sunt per participa-
 tionem. Hoc tamen verum est, cessante motu cœli siue con-
 cursu Vniuersalium, fore vt ab eo momento inferiora lan-
 guescerent, & corrumpi ac deficere inciperent. Et hæc de
 Vniuersalibus: breuiter nunc agemus de Particularibus.
 XXIV. Videmus autem produci siue effici cum Substan-
 tias, tum Accidentia. Considerandum itaq; quæ particu-
 lares

2. Phys. t. 26.

2. de gener.
t. 55. & 56.

larescaussa, id est, proximè effectum adringentes *substantiam* producant, quæ accidens. Primò quidem certum est, nullam secundam causam, quippe virtutis finitæ, producere posse substantiam secundum se totam, hoc est, quò ad totam entitatem, & nihil substantiæ supponendo: possunt tamen ex præsuppositâ substantiali materiâ substantialem formam educere, eamq; educendo in eandem materiam inducere, atq; ita substantiam producere, nouam secundum quid. Nam vt videmus ignem in subiecto accidentalem aliquam formam, puta calorem efficere; ita quoq; videmus ignem ex materiâ alium ignem generare. Accidens verò substantiam producere non potest, quia eam nec eminenter continet, nec formaliter: effectus autem toto genere præstantior esse nequit efficiente suo. Substantia itaq; substantiam producit, vt causa principalis; interim accidentibus quoq; suis vtitur, vt instrumentis: neq; enim ea tantum substantiæ ad ornatum data sunt, sed vel maximè vt per ea operationes suas exercent. Neq; quicquam obstat, quò minus huiusmodi accidentia effectum proximè & per se adtingant: attamen vt instrumenta. Nam & forma substantialis proximè & per se cum accidente siue instrumento suo ad educationem similis formæ influit; nisi enim influeret, accidens solum proxima causa foret substantiæ. At instrumentum per se solum & destitutum influxu virtutis, quæ prodeat à principali agente, non potest esse sufficiens in ratione causæ proximæ ad efficiendum aliquid se nobilius.

XXV. *Accidentia* efficiuntur vel à substantiâ, vel ab accidentibus. Efficiuntur autem, vel sine præuiâ reali transmutatione proximi sui subiecti, & sine eius resistentiâ; vel cum eâ. Quæ producuntur priore modo, siue *per naturalem resubstantiam & emanationem*, (cuiusmodi sunt proprietates & adfectiones rerû) ita se habent, vt si tale accidens sit immediatè
con-

connexum cum substantiâ, ab ipsâ quoq; prodeat immediatè; mediante verò alio accidente, si cum illo propinquiorè habeat connexionem. Ita ex materiâ resultat quantitas; à quantitate localitas; è formâ ignis, calor; à calore leuitas; à leuitate motus sursum. Prima autè proprietas siue adfectio siue proprium accidens immediatè semper ab ipsâ substantiâ prodit: nam si quodlibet accidens non nisi medio alio accidente à substantiâ efficiatur, dabitur progressus in infinitum. Et nisi aliqua proprietas ab ipsâ formâ substantiali prodeat, quæ causa erit, vt aqua calefacta semetipsam reducat ad pristinam frigiditatem? Secundæ verò proprietates siue alia propria accidentia oriuntur proximè à prioribus accidentibus, nempe ab ijs, cum quibus immediatè coniunguntur, quàm cum substantiâ.

XXVI. Porro per proprietates & accidentia, de quibus modò agimus, intelligimus res secundum rem & non solâ ratione distinctas à principijs, vnde emanant. Hinc igitur & hoc colligere licet, eam emanationem siue resultantiam, quam dicimus, veram esse efficientiam: vera enim res per eam producit. Vera itaq; intercedit actio; & est consequutio causalis secundum rem & naturam, non tantùm secundum sequelam illatiuam. Et quoniam forma, proprietas immediatè à formâ resultans, & si quæ hinc rursus secunda oriatur proprietas, quoniam inquam distinctæ hæres sunt, efficiuntur quoq; per distinctas actiones: repugnat enim rem distinctam fieri sine distinctâ actione, licet concomitanter fiat.

XXVII. Ita se habet productio accidentium quæ fit per resultantiam siue per actionem immanentem. Alia quæ producuntur per actionem transeuntem & immutationem realem, producuntur mediantibus accidentibus, & quidem Qualitatibus. Qualitates enim, quia formam proximè con-

P

sequun-

sequuntur, ideo naturam eius imitantur, & virtutem agendi participant. Virtutem autem agendi hic accipimus de virtute, quæ agat hoc posteriore modo, de quo nunc tantum loquimur. Nam efficientia per naturalem resultantiam, de quâ paulò ante, alijs quoq; conuenit accidentibus: minimè verò efficientia, quæ cum transmutatione reali. Quantitas enim vt ex materiâ proximè oritur, ita quoq; naturam eius sequitur, ad recipiendum faciens, non ad agendum. Relationes minimæ sunt entitatis, & propterea virtutis actioni imparis. Actio, vt suprâ ostendimus, causalitas est efficientis; atq; ideo principium agendi non est, sed à principio, & via ad terminum siue effectum. Actiones verò nonnullæ, nempe immanentes, suos intrinsecos habent terminos; qui quidem termini qualitates & sunt, & propterea vltioris actionis principia esse possunt. Motus localis non est nisi via ad vbi; & deseruit actionibus tanquam conditio necessaria vel utilis, vt adplicentur principia agendi, vel remoueantur impedimenta. Cætera accidentia ob suam imperfectionem virtute agendi destitui, quiuis facile intelligit. Verùm enim verò nec omnes qualitates eam virtutem obtinent: sed tres primæ species. Figura enim per se principium actionis non est, & ne quidem motus, vt videri posset: sed agentia tantum disponit vel modificat, vt minorem resistantiam inueniant, atq; ideo facilius agant, siue celerius moueantur. Vide Aristot. 4. de Cælo, c. vlt. Sed nec omnes primarum trium specierum qualitates actiuæ sunt: nam dantur potentiæ passiuæ; dantur quoq; quæ alias sui similes producere nequeant, vt colores, licet efficiant species intentionales, non tamen alios colores efficiunt. Calor autem & frigus producant effectus sibi similes, quos continent formaliter: habitus producant actus, quos continent eminenter. Accidentia itaq; accidentium partim v-

nno-

niuoce, partim æquiuoce causæ sunt: & per consequens non tantum instrumentales, sed principales. Quia tamen omnia substantijs inhaerent, neque sine ijs esse aut operari possunt, ideo rectè dicitur, *Actiones primo deberi suppositis.* Item *substantias siue supposita esse principia agendi ut quæ; Accidentia, ut quibus.*

XXIIX. Deniq; ad actionem requiruntur hæ tres conditiones. Prima, ut agens distinguatur à patiente vel re, ut in actionibus transeuntibus; vel modo aut respectu quodam, ut in immanentibus: quàm rem iam antè disputatione secundâ expositam dedimus. Idem enim quatenus idem non agit in seipsum. II. Suppositâ distinctione necessaria est propinquitas, ut patiens ab agente contingatur, si non semper per suppositum, at tamen per virtutem. Quin imò quando inter supposita agentis & patientis interiectum est medium, agens in patiente nihil efficere poterit, nisi virtute suâ in medium agere queat, & per totum illud continuam influentiam & actionem diffundat, atq; ita distans passum contingat. III. Agens non potest agere in passum, nisi quatenus id dissimile est. Nam quod simile est, ait Philosophus, *ἢ ἔπᾶντη πᾶντως ἀδύνατον, ἔυλογον μὴ πάσχειν ὑπὸ ἑομοίᾳ μηδέν.* Cur enim potius alterum erit altero passuum? item si fieri queat, ut quippiam patiatur à simili, illud quoq; à sese pati poterit. Nempe agens agit, quatenus actu est; patiens patitur, quatenus est in potentiâ: verbi gratiâ, quod actu calidum est, calefacit; calefit autem, quod in potentiâ calidum est, & calefieri potest. Necessè est enim, ut agens, quod passo dat siue communicat aliquod esse, ipsum in se habeat illud esse vel eminenter, vel formaliter; & ut passum id non habuerit, antequam communicetur. At quod actu tale est, dissimile est ei, quod est potentiâ tale. Hæc verò dissimilitudo accipienda est de initio actionis: vnumquodq; enim agens

th. 25. & 26.

2. de gener.
c. 48.

in 2. quib.

pro suo modo passum sibi adsimilat, vnde in termino actionis passum simile fit agenti. Illam itaque formam, quæ futura est terminus actionis, abesse oportet in passo, cum incipit actio, & esse in agente, vel formaliter, si causa sit vniuoca; vel eminenter, si sit æquiuoca. Dissimilitudo itaq; requiritur alia nulla, quàm quæ est inter formam & priuationem, siue rem in actu, & in potentiâ. Hæc quidem in vniuocis propriissimè & formaliter intercedit: quia enim agens introducit in passum formam eiusdem cum suâ, per quam agit, rationis & speciei, propterea supponit in passo priuationem talis formæ, & per consequens formalem dissimilitudinem. At eam non requirit æquiuocum agens, non enim introducit formam suam similem: nihil itaq; obstat, quò minus cum passo specie & formam conueniat. Tantum necesse est, vt in passo sit priuatio formæ eius, quæ est introducenda, & futura terminus actionis; in agente verò eadem virtualiter sit siue eminenter: atq; ita secundum hanc proportionem inter vtrumq; dissimilitudo intercedat. Et hætenus de Efficiente egimus.

XXIX. Subiungemus MATERIAM, quæ etiam ipsa inter causas satis nota est. Paucioribus autem de eâ agemus, quòd plenior tractatio ad Physicum spectet: nobis tamen, quam causandi rationem obtineat, videndum erit. Suprà quoq; monuimus, non omnibus rebus omnium causarum rationes conuenire: & Deum, atq; Intelligentias, adeoq; quæ incorporea sunt, cum materiâ nihil commune habere. Est itaq; ea propria rerum physicarum & corporearum, siue compositarum. In his videmus mutationes esse, non accidentales modò, sed & substantiales, nempe generari eas & corrumpi. Omnis autem mutatio supponit subiectum. Hoc verò subiectum aut iterum supponit aliud subiectum, aut non. Si non supponit, habemus subiectum pri-

disp. 3. c. 12.

primum, siue *materiam primam*. Sin supponit, quæram de eo, an & hoc aliud supponat. Manifestum autem est, non posse procedi in infinitum: neq; intellectu percipi potest compositum subsistens, cuius vna pars nitatur in aliâ, & alia iterum in aliâ. Non potest igitur fieri, quin tandem sistatur in aliquo primo subiecto, seu materiâ primâ. Materiam verò primam hîc accipimus pro principio primo materiali substantialis constitutionis & transmutationis: nam alioquin omnis mutatio realis tam perfectiua quam corruptiua subiectum aliquod requirit; ideoq; necessariò ad primum aliquod in suo genere subiectum reducitur: non tamen vsu receptum est, vt id vocetur materia prima.

XX X. Porro quòd sit materia illa prima evidens est ex mutuâ simplicium corporum siue elementorum transmutatione. Hæc enim ipsa requirit commune aliquod subiectum, quod maneat sub vtroq; termino. Nam aliàs transiret vna forma in aliam formaliter; & esset transsubstantiatio quædam, non generatio & corruptio: aut res quæ corrumpitur, interiret secundum se totam, & quæ generatur, inciperet esse secundum se totam, vna, inquam, annihilaretur, altera crearetur, quod naturaliter fieri non potest. Datur itaq; aliquod subiectum, prius ipsis elementis, & ijs omnibus commune, quod vocamus Materiam primam.

XXXI. Prima autem quia est, ideo secundum sese vacua est ab omni formâ, & in æquali potentiâ ad recipiendum quamcumq;. Respectu itaq; formæ siue actus informantis pura est potentia. Quoniam tamen reuerâ aliquid est & extra nihil, recte ei à Scoto tribuitur actus entitatus. Neq; enim potentia passiva realis intelligi potest sine aliquâ actuali entitate: quomodo enim alterum recipiet, quod in se nihil est? Quamobrem materia prima non dicitur pura

potentia in ordine ad actum quemcumq; , etiam metaphy-
sicum: verum in ordine ad actum informantem. Defi-
nitur ab Aristotele *primum cuiusq; subiectum, ex quo insit u-*
numquodq; non ex accidente generatur, & in quod, si quidpiam in-
terit, postremo resoluitur. Et quoniam ab ipsa per natura-
lem resultantiam primò & per se emanat quantitas; propter
eà coæuâ suâ quantitate tamquam propriâ adiectione de-
stitui non potest: etsi ea indeterminata est, & per receptam
formam primùm determinatur.

1. Phys. t. 32.

XXXII. *Secunda materia* est, quæ primam præsupponit,
semper alicui formæ coniuncta, per quam fit, vt si aliam for-
mam respicit, determinatè eam respiciat. In vniuersum
autem materia in duplici est differentiâ, quia in duplici po-
tentiâ. Alia formam siue actum suum substantialem sem-
per obtinuit & obtinet, nec est in potentiâ vt eum abijciat
& alium recipiat naturaliter: talis est materia cœlorum.
Alia præcessit actum, eoq; vicissim carere potest, adeoque
semper complicata est cum formâ quam habet, & priuatio-
ne eius quam habere potest: talis est sublunarium. Sed
harum differentias & proprietates accuratiùs examinare

2. Phys. t. 28.

Physici est. Generaliter definitur materia, *ex quâ cum insit,*
aliquid fit. Quum igitur alia materia in composito maneat,
vt ligna & lapides è quibus ædes factæ sunt; alia verò tran-
seat, vt cum è ligno fit ignis: ea certè quæ transit, in quan-
tum transit, rationem potius habet termini à quo, quàm ha-
bitudinem causæ inexistentis siue intrinsecè rem compo-
nentis & constituentis. Causaalitas quoq; materiæ, ex his
quæ diximus, manifesta est. Quia enim in ordine ad actum
informantem nihil est, nisi pura potentia, nihil quoq; ha-
bet, per quod causaalitatem suam exercent, nisi hanc ipsam
potentiam. Causat itaq; , dum istâ suâ potentiâ actum re-
cipit;

cipit; eumq; dum recipit, simul intrinsecè constituit compositum. Refertur enim ad duplicem terminum; ad formam in fieri, & ad compositum in esse: qui tamen termini subordinati sunt, ita vt exercendo causalitatem suam erga formam simul fiat materia & pars compositi.

XXXIII. Hæc de materiâ substantiarum, quæ dicitur ex qua, respectu scilicet compositionis, non autem educationis. Accidentia in abstracto sumta nullam habent materiam: tota enim eorum entitas forma quædam est. Quod si materiam haberent, ex quâ & suâ formâ intrinsecè componerentur, vnum mutari posset in aliud sine mutatione subiecti, & ita contrarium in contrarium (v.g. calor in frigus) formaliter transire.

ὅτι ἐστὶ τῶν τριῶν ὕλη, αἰτ. Aristoteles, ἀλλὰ τὸ ἐπινοεῖται μόνον ἢ ὁσία. Quoniam enim accidentia imperfectæ adeo sunt entitatis, vt subsistere nequeant, nisi ab alio sustententur, ὅθεν γὰρ αὐτῶν ἐστὶν, ὅτε κατ' αὐτὸ πεφουκός, ὅτε χωρίζεσθαι δύνατον τῆς ὁσίας: 8. Metaph. c. 4. l. 12.

inde fit, vt accidentibus subiectum suum pro materiâ sit, substantia scilicet, e qua educuntur, & cui inhaerent: vnde dicitur *Materia in qua*. 7. Metaph. cap. 1. Cum eâ verò non faciunt vnum per se, sicut actus cum potentiâ, nimirum quia substantia in suâ naturâ iam ante aduentum accidentis completa est.

Quoniam igitur accidentium est inhaerere & sustentari, constat substantiam illis pro subiecto & materiâ esse. Huic autem alia inhaerent immediatè, vt quantitas materiæ primæ; alia mediante quopiam alio accidente, vt color extenditur mediante superficie: vnde duplex statui solet subiectum accidentium, *Vnum* à quo verè sustentantur; *Alium* cuius interuentu cum hoc sustentante copulantur. Prius dici solet *subiectum quod*; & non potest esse nisi substantia, cuius solius est sustentare: posterius *subiectum quo*, & accidens esse potest; sed hoc non nisi æquiuocum.

eam subiectum est. Quo enim sustentantur accidentia, in eo etiam recipiuntur & sunt. Etsi igitur interuentu medij accidentis insunt, in ipsâ tamen substantiâ insunt.

XXXIV. Deniq; est *materia circa quam*, quæ nihil aliud est, quàm obiectum, circa quod agens occupatur; & ad quod actio eius terminatur. Hæc autem significatio materiae metaphorica est; obiectum enim vt sic non exercet causalitatem aliquam materialem, sed habet rationem vel mouentis, vel terminantis. Sub ratione *mouentis* exercet causalitatem aut efficientem, aut finalem, hoc est, mouet vt efficiens; vel vt finis. Sub ratione autem *terminantis* nullum genus veræ causalitatis exercet, sed puri termini specificantis, non per realem influxum, qui causam constituat, sed per solam habitudinem alterius ad ipsum.

XXXV. *Metaphysica* quoq; *materia* quæ dici solet, nempe genus respectu differentiae, secundum analogiam aliquam ita dicitur: quæ etiam ipsa intercedit, cum substantiam incorpoream suorum accidentium materiam adpellamus. De Materiâ tantum; excipit eam Forma:

sed ne hæc disputatio nimium exerescat,

sequenti cætera refer-

uamus.



94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.

V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lorenza kam für illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formauit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. **M**utans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. **Q**ue bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerat conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. **Q**ue cum gratia plena sit.
prius etiam quam concipiat: post concep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? **U**nus ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. **Q**ue celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. **D**icitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. **H**ec etiam sola per
omnes mulieres et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. **C**um
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait **In dolo** par-
tes: uirgo maledictioni legis non
erat. **maledicta sterilis**: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. **U**nde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit. **maledic-
tionem legis aboleuit**: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. **E**t notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginum
uigine saluare potest: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. **In** uir-
gine singulis dulcissima implen-
tur mysteria. **N**am deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inuis ab omni uerbo
tunc uirginum que filia



METAPHYSICARVM
 TA,
 SIS IN
 CIE,
 THESESES
 OPT. MAX.
 AESIDIO
 LIXTI, Phil. &
 oris & Prof.
 lici,
 Mart.
 ACAD. IVLIA
 NDET
 VVOLBERTVS
 ATVS.
 STADI,
 IACOBI LVCI,
 15 cXVII.

4

F. 7. 8.

